

optime potest aquarum fontanarum natura. Si enim multum lactescit, indicium est multas particulas heterogeneas terrestres in ipsa existere, & contra.

4. Sacchari saturni solutio simili ratione patefacit contenta heterogenea aquarum. Si enim aquæ turbidæ fiunt vel albæ indicium est heterogeneitatis, si puræ & limpidæ manent, sicuti accidit in aqua pluviali, optimum indicium est puritatis. Quibus experimentis manifestatur acidum occultum vitriolicum latitare maxime in aquis fontanis.

5. Simul etiam mentio fiat qua ratione acidulæ, therinæ examinandæ sint per evaporationem in vase clauso ; item per mixtionem cum variis liquoribus.

6. In aqua cujuscunque generis si solvitur sal commune, & ejus tanta quantitas inditur, ut nihil amplius capere queat, quando tunc novum sal v. g. alumnen additur, hoc denuo dissolvet & soluto hoc ipso, ut nihil amplius accipere queat, si vitriolum adjiciatur, hoc rufus recipiet, & sic plures species capere poterit.

DEMONSTRATIO XXXII.

Effluxus aquarum in siphonibus fit ab inæquali pressione aquæ & aereæ columnæ.

Experimenta.

1. Quandocunque sumitur siphon ex duobus æqualibus cruribus constans, & infunditur aqua ita, ne in uno crure plus contineatur quam in altero; & ipse siphon invertitur; ex utroque crure ne gutta excidet.

2. Syphones variæ constructionis oculis subjiciuntur in spiras contorti, recti, incurvati, duobus cruribus constan-